

*149. Instrumentum venditionis
di Andrea de Balba in favore
della chiesa di S. Michele*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*149. Instrumentum venditionis
di Andrea de Balba in favore
della chiesa di S. Michele*

1445-11-05

(c. 149r) In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno a nativitate ipsius millesimo quatricentesimo quatradesimo q(ui)nto, regnante <serenissimo et illustrissimo domino nostro domino> Alfonso Dei gratia Aragonum, Sicilie citra et ultra farum rege, Valentie, Ungarie, Ierusalem, Mayoricarum, Sardinie et Corsice , <comite Barchinone , duce Athenarum> et Neopatrie ac etiam comite Russilionis et Ceritanie, regnorum vero eius huius regni citra farum anno undecimo feliciter amen, <die> quinto mensis novembris, none indictionis, apud civitatem Potentie.

Nos Iacobus de Bono Ioanne de eadem civitate ipsiusque civitatis annalis iudex pro dicto presenti anno dicte none indictionis, Rogerius de Lauro de terra Athene, incola seu habitator civitatis nominate, publicus ubilibet per totum regnum Sicilie reginali autoritate notarius et testes subscripti, viri quidem liciterati et inliciterati, ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto puplico venditionis instrumento fatemur, declaramus, notumfacimus atque testamur quod eodem predicto die in nostri presentia constitutus Andreas de Balba, de eadem civitate Potentie, asseruit coram nobis se ipsum habere, tenere et possidere iuste, realiter et rationabiliter, iusto titulo et bona fide, pacifice et quiete, pleno iure, tanquam verum dominum et patronem, subscriptas terras sitas et positas in tenimento eiusdem civitatis Potentie, in subscriptis locis, eorum finibus limitatas et designatas ut dixit et retulit, videlicet: petium unum terre situm et positum in dicto tenimento eiusdem civitatis Potentie in loco ubi dicitur Gallitello, designatum a superiori parte iuxta terras ecclesie Sancte Trinitatis, a superiori parte limite // (c. 148v) comuni mediante,

ab inferiori parte iuxta terras Sancti Girardi eiusdem civitatis, limite comuni mediante, ab uno latere iuxta terras Sancti Laurentii de eadem civitate et alios fines; item petium unum aliud terre situm et positum in eodem tenimento in contrata ubi dicitur la Noce de Iacobo de Amore, confinatum a superiori parte iuxta terras ecclesie Sancte Trinitatis de eadem civitate, iuxta terras Petrucii de Ansia, limite comuni mediante, ab inferiori parte iuxta Vallonem Iacobi de Amore iuxta terras donni Ioannis de Quatuor Oculis archipresbiteri Sancti Michaelis de Potentia, quas tenet in beneficium, limite comuni mediante et alios fines; item petium unum aliud terre situm in eodem tenimento in contrata Scarroni, limitatum iuxta terras ecclesie Sancte Trinitatis, limite comuni mediante, ab inferiori parte iuxta viam puplicam et alios fines siqui sunt; item petium unum aliud situm in eodem tenimento in contrata ubi dicitur lo Vallone a lo Pissulo, confinatum ab uno latere iuxta terras ecclesie Sancti Michaelis et ab alio latere iuxta terras ecclesie Sancti Laurentii de eadem civitate et alios fines; item terram unam aliam sitam et positam in eodem tenimento in contrata ubi dicitur li Cassinali, confinatum ab uno latere iuxta terras prefate ecclesie Sancti Michaelis mediante quodam vallone et in capite limite comuni, ab inferiori parte iuxta vallonem Antonii de Larte et alios fines; item terras alias que fuerunt quondam Antonii de Larte, confinatas a superiori parte iuxta terras eiusdem ecclesie Sancti Michaelis et iuxta terras ecclesie Sancti Francisci de Potentia; item certas alias terras que fuerunt quondam magistri Angeli Migliarani, confinatas a superiori parte // (c. 150r) iuxta terras Sancti Michaelis dicte civitatis, iuxta terras Sancti Eunufrii dicte civitatis, iuxta terras notarii Thomasi Strambi, iuxta vallonem

Tore et iuxta viam qua itur ad terram Titi et alios fines; ac cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem dictis terris pertinentibus quoquomodo, francas, liberas et exemptas ab omni et a qualibet venditione, alienatione, hypothecatione, debito, legato et obligatione, censu, redditu, angaria et perangaria ac prestatione quacumque realis et personalis, ac nexu quocumque et nemini fore venditas, obligatas, ypothegatas seu pignori positas, tacite vel expresse. Idcirco sicut eidem Andre# melius visum fuit non vi, non dolo vel metu cohactus ad id vel aliter circumventus, sed eius mera, libera, gratuita et spontanea voluntate palam, pure, puplice et bona fide, sine aliquo colludio et vitio pravitatis, a presenti die vendidit, alienavit et ex ipsa venditionis et alienationis causa tradidit et assignavit iure proprio et inperpetuum donno Ioan(n)i de Quatuor Oculis de eadem civitate Potentie, archipresbitero et procuratori ecclesie Sancti Michaelis, loco et vice ipsius ecclesie prelibate et Pascarello Pagano procuratori, ut dixit, ecclesie Sancti Francisci de dicta civitate et fratri Vito Pagano guardiano conventus ipsius ecclesie Sancti Francisci, etiam loco et vice ipsius ecclesie Sancti Francisci ibidem presentibus, ementibus et recipientibus, loco et vice prefatarum ecclesiarum, supradictas terras pro comuni et indiviso predictis membris, iuribus, loco et finibus limitatas et etiam omnes alias terras dicti Andre# ubique locorum sistentes in eodem tenimento // (c. 150v) civitatis Potentie ad dominium dicti Andre# sistentes etiam dictis emptoribus prefatus venditor assignavit ut supra; et prefatus venditor prefatos emptores in corporalem poxessionem omnium supradictarum terrarum et aliorum ubique locorum sistantium in corporalem poxessionem per fustem induxit coram

nobis ad verum dominium prefatarum ecclesiarum et proprietatem ad semper habendum, tenendum, poxidendum, vendendum, donandum, permutandum nec non et quocumque modo voluerint dicte ecclesie alienandum, cum viis eorum ad ipsas terras intrandi atque exeundi ac cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem eis pertinentibus quovis modo. Pro qua quidem venditione et alienatione dictus venditor coram nobis confexus fuit et contentus se vocavit se recepisse et manualiter habuisse a prefatis emptoribus nomine pretii de carlenis argenti, sexaginta per unciam et duobus pro tareno quolibet computatis, usualis pecunie regni huius, uncias septem ponderis generalis, totum scilicet pretium venditionis ipsius. Promictens dictus venditor per se suosque heredes dictis emptoribus procuratoribus dictarum ecclesiarum et successive futuris, loco et vice ut supra dicitur prenominarum ecclesiarum stipulantibus, litem, controversiam vel questionem aliquam de omnibus supradictis terris ullo unquam tempore non inferre nec inferenti consentire vel assentire, sed dictam venditionem et omnia et singula supradicta et infrascripta firmam et firma ac ratam et rata habere, tenere et nunquam contrafacere vel // (c. 151r) venire, per se suosque heredes aut aliquos quovis modo, in iudicio vel extra iudicium, de iure vel de facto, modo, ingenio seu tractatu, sed dictas terras dictis ecclesiis ab omni homine et persona quacumque legitime defendere, guarentire, disbrigare et de evictione teneri, sub pena et ad penam dupli pretii supradicti, medietate ipsius pene regie curie vel alicui curie ubi exinde facta fuerit reclamatio seu querela, altera medietate dictis emptoribus vice ipsarum ecclesiarum et successive futuris persolvenda, me predicto notario

tanquam persona publica pro parte dicte curie et dictis emptoribus a prefato venditore sollemniter stipulanti penam ipsam; qua commissa vel non commissa, exacta vel non exacta seu gratiose remissa, presens nihilominus instrumentum cum omnibus que in se continet in suo semper robore et efficacia perseveret, cum refectione omnium damnorum interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento dictorum emptorum et subcessorum eorundem, nulla alia probatione quesita; et renunciavit super hiis dictus venditor voluntarie et expresse, pro cautela dictorum emptorum et subcessorum eorundem, exceptioni doli mali, vis, metus et in factum, presentis non sic celebrati contractus, exceptioni deceptionis et fraudis reique predicto modo non geste vel aliter habite quam superius continetur et est expressum, exceptioni dicte non numerate pecunie, non solute, // (c. 151v) non habite et non recepte ac non boni argenti, legi rescissorie qua deceptis ultra dimidiam iuxti pretii subvenitur et generaliter omnibus aliis auxiliis et beneficiis omnium iurium atque legum et specialiter iuri dicenti generalem renuntiationem non valere et iuri per quod cavetur quod dicto iuri renunciari non potest, quibus suffragantibus dicta venditio predictaque omnia possent in aliquo minui vel infringi. Pro quibus omnibus attendendis et inviolabiliter observandis et quod predicta omnia vera sunt, dictus venditor prefatis emptoribus corporaliter manu tacta prestitit ad sancta Dei evangelia iuramentum. Et voluerint partes ipse quod de predictis omnibus conficere deberemus dua publica instrumenta consimilia idem continentia, unum videlicet pro cauthela dicte ecclesie Sancti Michaelis de

civitate predicta et aliud pro cauthela ecclesie prelibate Sancti Francisci; in eorum certitudinem et perpetuam cautelam actum est inter contrahentes prefatos quod si in presenti instrumento aliqua iuris clausula deficeret per quam posset in aliquo minui vel infringi, tacite et expresse intelligatur et totiens refici possit quotiens opus fuerit ad consilium sapientis, veritatis tamen substantia non mutata. Unde ad futuram memoriam et prefatarum ecclesiarum perpetuam cautelam, factum est exinde presens publicum instrumentum per manus mei predicti notarii, signo meo solito signato, mei qui supra iudicis et nostrum predictorum testium subscriptorum // (c. 152r) subscriptionibus roboratum.

1

2

3

4

Quod scripsi ego predictus Rogerius de Lauro publicus ut supra notarius qui premissis omnibus vocatus et rogatus interfui, ipsumque meo solito et consueto signo signavi; superius autem in vicesimo octavo virgulo ubi legitur «sistentes» abrasum et emendatum est per me prefatum notarium, non vitio sed errore quia in scribendo erravi, unde pro autentico habeatur. (SN) Ego Iacobus de Bono Iohanne annalis iudexqui supra Ego Rogerius de Stella ad omnia et singula subscripta testis interfui Signum crucis proprie manus subdiaconi Angelilli Cussiantis

A Lacte (*qui e in sequito*)

A Honufrii

A in

A alteri

testis idiote interfuit et scribere nescientis Signum crucis
proprie manus Philippi de Grippo testis idiote interfuit et
scribere nescientis Signum crucis proprie manus Ursii
de Abriola testis idiote interfuit et scribere nescientis
Signum crucis proprie manus Iuliani de Magliano testis
idiote interfuit et scribere nescientis Signum crucis
proprie manus Lionetti de Tarallo testis idiote interfuit
et scribere nescientis // (c.152v) Ego Antonius Mattheus
Cirelli de Venusio testis interfui

5

6